



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 24. Quomodo intellectus seipsum intelligat, ad. tex. com. 80.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

studio multaque exercitatione comparatam. Hoc .n. est habere habitum: quique eum habet, potest sine alio labore contemplari: sicut in tex. 36. lib. 2. Phys. ars dicitur non deliberare: quia qui artis habitum habet, sine alia ratiocinatione, aut consultatione opus statim agreditur, quia statim videt quomodo sit operandum, & quomodo opus perfectum effici possit.

TEXTVS.

Kai autem de autem tunc dicitur vobis.

Et ipse tunc seipsum potest intelligere.

COMMENTARIVS LXXX.

INtellectum, qui est habitu, tribus modis ab Ieo, qui est potestate, differre docuit. Primum quod hic nihil est actu eorum, quae potest intelligere; ille singula factus omnium habitum habet. Deinde quod ille potestate essentiali & remota existit ad intelligendum; hic accidentaria duntaxat, & proxima. Tertio, quod ille ex se operari non potest, sed ab alio trahi ad actum debet; hic per seipsum intelligere valet quando voluerit. Quartum nunc addit, intellectum habitu intelligere seipsum posse, intellectum potestate non posse. Particula vero illa (tunc) duo mihi significat. Primum est; eandem esse intellectus substantiam, quae potestate dicitur, & habitu; & antea quidem, cum in sola potestate versaretur, cognoscere seipsum nequit, post vero aliorum intellectuum habitibus perfectus potest. Non enim diuersam vox illa facultatem & substantiam cognoscentem, sed cognoscendi tempus significat. Alterum; Aristotelem verbis hisce non tam asserere intellectum seipsum cognoscere, quam tempus & modum cognitionis ostendere. Eum namque seipsum cognoscere, atque in seipsum redire, tum erat manifestum, certum, atque experientia cuiusque testatur; tum ex superioris traditum satis superque intelligebatur. Nam si immaterialis est, impermissum corpori, & inorganicus, immunitis ab eo est, quod reditum & conuersionem in seipsum impedire posset, impeditque in sensu. Et vero ex intellectibus ceteris, qui seipsum intelligunt, facile idem poterat de humano probari: Addendum tamen hoc ipsum, & quoquo modo significandum fuit; ut intellectus distingueretur a sensu, quem in tex. 32. superioris libri dictum fuerat seipsum non cognoscere. Et ne quis fortasse in tex. 4. probatum videns, eum cum materia & corporeis rebus permixtum non esse, ut intelligat omnia, materialia sola & corporea crederet illum intelligere; non item seipsum, cum a seipso diuersus, sibi que impermissus esse non possit.

Tempus autem & modus cognoscendi obsecritatem habebant plurimam. Tempus; quoniam a primo ortu & naturae suae conditione non hac modo, sed omni prorsus cognitione caret. Modus vero; quoniam est immaterialis & abstracta substantia fit, ut intellectus ceteris; non eodem tamen modo se habet, quo illi; sed corporis forma est. Quare non per essentiam ut diuinus intel-

A lectus; neque directè, ut ceteri, intelligere seipsum potest. Sed alio quopiam modo. Praetertim cum in intelligendis ceteris rebus opera & famulatu corporeorum sensuum & phantasiae utatur: ipse autem immaterialis & incorporeus cum sit, percipi sensibus & phantasia comprehendere nequeat. Tempus igitur illud est, cum singula factus & aliarum cognitionum habitibus perfectus fuerit. Modum autem hunc indicat, qui ex ceterarum rerum cognitione deducitur. Cum enim eum scribit seipsum tunc intelligere, cum fuerit singula factus resque alias cognouerit: Profecto cognitionem eam significat antecedere oportere, veluti necessariam ad illum in sui ipsius cognitionem inducendum.

Digestio XXIII. Quomodo intellectus seipsum intelligat.

Quo loco grauis existit inter Simplicium & Alexandrum controuersia. Etenim Alexander non alio modo, quam ex accidente seipsum dixit intelligere intellectum, intelligendo scilicet intellectuales formas, cum quibus ipse quodam modo est idem. Ita enim fit, ut dum eas per se & primario intelligit, seipsum etiam ex accidenti intelligat. Sententiam hanc Alexandri paucis verbis commemorat Simplicius: sed pluribus habes apud ipsum explicatam in 1. libro de anima cap. de intellectu secundum actum. Eandemque Themistius & Auerroës hoc loco, & S. Thomas ad tex. 15. sequuti sunt. Magnus quoque Albertus ex accidenti cognoscentem fecit, dum eum tradidit propterea seipsum cognoscere, quod intellectuales formas in seipso esse cognoscat.

Simplicius autem contra pugnat, nequaquam ex accidente, sed primario eum, tum aliarum rerum formas, tum seipsum intelligere. Si enim, inquit, ex accidente duntaxat, non per se, notus sibi esset, neque substantiam suam, neque vitam aut operationem cognosceret. Quare nihil profecto de illo scriberemus: non eum diceremus partem esse animae, non immaterialem, incorporeum, impermissum, impatibilem, immortalem, inorganicum, propria sibi neque communi cum corpore operatione praeditum, non esse agentem aut patientem, non potestate, habitu, aut actu, non theoreticum aut practicum, Etenim haec non intellectibus formis, sed in ipso intellectu considerantur: neque illis, sed hic conueniunt. Deinde dum ita isti loquuntur vim omnem reflectendi se supra seipsum intellectui nostro praeripiunt. Si enim redire in seipsum posset, non ex accidente, sed per se & principali actione naturam suam atque operationem cognosceret. Quod sane tum ex immaterialis substantiae natura nascitur, tum vero in nobis ipsis experimur seipsum, non solum rem quampiam aliam, verum illam ipsam intellectionem, qua illa intelligimus, intelligentes: non tanquam rem intellectam, sed velut intellectus actionem, quae ea sunt intellecta. Ac rursus intellectus naturam tanquam ab intellectis omnibus rebus diuersam contemplantur. Certè facultatum inferiorum actiones & naturam per se & peculiari actione cognoscimus, non illius ipsius, sed alterius superioris virtutis. Communis enim sensus particularium

Intelligere per se, non ex accidente.

KKKK iij

que primū intelligit, quā in sensus incidunt atque illi à phantasia proponuntur. Horum intellectione sepius repetita intelligendique actionibus multiplicatis earum habitum firmiter sibi hærentem contrahit, quo promptus est & expeditus ad eas res, vbi liberit, intelligendas & contemplandas. Et si opus illi phantasmatis fuerit, tam est in eorum inspectione & cognitione exercitatus, vt quā promptē sese ad illa conuertit, tam facili in illis, quidquid vult, statim intelligat: neque vt antea, labore, industria, attentioneque multa, & consideratione indigeat. Hic intellectus habitu nominatur, qui seipsum tandem intelligere potest. Vbi enim intelligere se omnia cognouit, tum demum intelligit suam naturam potestatem esse quandam ad omnia, formatam omnium intellectuum capacem. Intelligit etiam se corporis formā atque ab intellectibus cæteris diuersæ conditionis esse; cum animaduertit se absque corporeis sensibus & phantasmate intelligere nequaquam posse; nec sine illis quidquam eorum, quæ cognouit, percipisse. Denique immaterialem, incorporeum, inorganicum, impatibilem, & immortalem se esse intelligit; dum illis omnibus intelligendis nihil se passum aut læsum, sed perfectum magis & roboratum fuisse animaduertit. Itaque non primū, sed secundariō seipsum intelligit. Non enim eam esse naturam & conditionem suam cognosceret, nisi antea reliqua omnia cognouisset. Vt non ineptē dixeris, intellectum naturam suam cognoscere non ab simili modo ab eo, quō materia naturam cognoscit; partim formarum omnium & actuum negatione; partim ex transmutatione, in qua velut in sōtme subiectum formas omnes suscipit. Non inquam per se primū, sed secundaria ratione, & aliunde atque ex formis colligendo. Idem enim propemodum in intellectu euenit cognitione, vt ex intellectuum formarum perceptione cognoscatur. Atque hoc est illud; Cū fuerit singula factus, seipsum etiam potest intelligere. Primarium igitur illius obiectum cætera omnia sunt; secundarium propria quoque ipsius natura & operatio. Vtrumque tamen per se. Hæc est vera, & Philosopho atque intellectu naturæ antea propōitæ consentanea maximè interpretatio.

Intellectus & materia similitudo.

Qui in intellectu seipsum intelligit.

Qui verò intellectus seipsum cognoscit, non est intellectus potestate, neque habitu; sed is, qui actu dicitur. Quod ex Aristotelis verbis apertè cognoscitur. Is enim intellectus, qui potestate nominatur; planè rudis existit; tantumque abest, vt seipsum cognoscāt; vt nec aliorum quidquam intelligat, quatenus eiusmodi est. Tunc autem intelligere poterit, cū fuerit singula factus. Interim vt est ad alia omnia intelligenda comparatus & aptus, sic potestate remota seipsum potest intelligere. Vbi verò fuerit singula factus, habitusque perfectus, poterit sanè potestate propinqua seipsum intelligere: at nec dum illi actum, sed potestatem solam intelligendi Philosophus tribuit. Hoc tamen discrimine ab intellectu potestate, quod alter remota, alter propinqua est potestate; neuter tamen actu operatur. Ac rursum ab intellectu actu hoc differt; quod is quamdiu est habitu, quiescit semper, nec actu quidquam intelligit. Quare nec seipsum. Quoniam igitur solus intellectus actu operatur, is solus superest, qui post aliarum cogni-

tionum habitus comparatos in seipsum conuersus, seipsum quoque intelligat. Quod ita est accipiendum, vt meminerimus semper, eundem substantia triplicè hinc intellectum esse, solique perfectione atque imperfectione differre. Hinc enim cognoscetur intellectu absolute seipsum cognoscere; ad eam tamen cognitionem non peruenire, nisi cū cæteris rebus cognitis perfectus fuerit: neque id eum assequi, quatenus potestate & secundum suam naturam absolute consideratur; sed vt cum intellectu habitu & actu idem est, postque acquisitos habitus operatur actu.

Hinc pendet illius quæstionis explicatio, quæ in tex. 16. proponitur; cur intellectus cū semper habeat seipsum sibi præsentem, semper seipsum intelligat. Causa enim est, quia suapte natura potestate est & imperfectus, aliaque omnia prius intelligere debet; quod non nisi post longum tempus vixque in extrema ætate accidit. Intellectus separati, vt actu sunt & perfecti, sic seipsum semper intelligunt & primò; Neque opus habent ex alijs in sui cognitionem deduci.

Cur intellectus non semper se ipse intelligat.

Iam verò si Alexander obijciat, à seipso nihil pati posse, intelligereque pati quidpiam esse ab intellectu: respondit Simplicius, intellectum non esse passionem simpliciter, verum passioni aliquid simile; hoc est perfectionem in intellectu susceptam absque ipsius passione. Ita in tex. 3. definitum est. Deinde passionē significare receptionem aliunde provenientem; & idè intellectum imperfectum, qui potestate dicitur, pati, dum intelligit alia: eum autem, qui iam perfectus est, tum seipsum, tum foras, quæ in ipso sunt, absque passione vlla, sed perficiente solum actione, intelligere. Tum verò etiam propositionem illam (nihil patitur à seipso) de vera & propria actione physica interpretaberis. Quoddam enim certum est esse actionum genus, quod immanentium propterea vocamus, quod in illo ipso suscipiuntur, à quo proficiuntur. Sensus circa æternū obiectum sanè versatur; sensationis tamen actio & forma à seipso producta in eo ipso suscipitur. Idem euenit intellectu: dum à se diuersa cætera intelligit. Cū autem in seipsum conuertitur, perinde in seipsum agit; ac intelligentiæ reliquæ, quas directa actione constat seipsum intelligere. Satisque est, vt alia atque alia ratione intelligat & intelligatur. Intelligit enim, vt est intelligens & actu primo, potestateque ad secundum: intelligitur autem, vt intellectibilis est. Atque dum intelligit, nil aliud, quam intellectiōnem tanquam sui formam, recipit. Que receptio perfectio est, non passio. Idem intelligentijs abstractis euenit præter Deum, dum seipsum intelligunt: cū earum intellectio ab illarum essentia diuersa sit, adueniens, & adscita.

Obiectio prima.

Alius fortasse intellectu causabitur nil sine phantasmate intelligere; neque ipsius intellectus, qui immaterialis est & spiritalis natura, posse vllum esse phantasma. Cui respōdebis propositionē illā, quæ ad intelligendum accersit phantasma, de primario solum obiecto accipiendam esse, quo ex sensibus hausto perfici primū oportet intellectum: non de secundario, neque de toto, quod adæquatū vocant. Alioqui quomodo Deū & substantias abstractas, quarū phantasma nō est, intelligimus? Certè omnè sensibile, quod habet phantasma, intellectibile item est: at retrò non comeat propositio, nequē recipere licet, omnè intellectibile esse sensibile at-

Obiectio secunda.

Phantasmatis necessitas.

que phantasma habere. Maior siquidem est intellectus virtus, quam sensus: latiusque multo intellectibile patet, quam sensibile. Et in materialibus quidem ac sensibilibus intelligendis phantasmate opus est; at in immaterialibus & spiritualibus nequaquam. Immo in hisce intelligendis impedimento potius phantasmata sunt; atque ab illis recedit intellectus atque altius ascendit, vt, quemadmodum illa se habeant, assequatur. Sed in tex. 15. propterea nos admonebit Philosophus, intellectum atque immaterialia entia per se intellectibilia esse; quoniam in illis idem est quod intelligit, & quod intelligitur. Et in tex. 9. proximè sequenti dicitur, ad cognoscendam aquam & formam cum materia sensu & phantasia opus esse; atq; ad solā aquam essentiam & formam per se abstractam à materia comprehendendam, non item, sed solum sibi sufficere intellectum. Idque, quod intellectum addet Philosophus per simile esse explicatæ lineæ & replicatæ, siue porrectæ, & curuatæ; et si secus adferetur, hoc tamen etiā modo ad rem præsentē trahi potest; vt duplicem illam operationem eius declaret: quarum altera ad ea, quæ sunt extra se, cognoscenda porrigitur, & quasi explicetur; altera ad se ipsum intelligendum replicetur & quodam modo curuetur.

QUOMODO FIAT
intellectio.

CAPVT VI.

TEXTVS.

Ἐπι τοῦ ἀπο τοῦ μέγιστος καὶ τοῦ μέγιστος εἶναι, καὶ ἴσως καὶ τοῦ ἴσως εἶναι. Ἐποὶ δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέρον πολλόν, ἀλλ' ἐν ἐστὶ πλείονων. Ἐπὶ εἶναι δὲ τὸ τοῦ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ εἶναι καὶ ὁμοῦ, ἢ ἀπο, ἢ ἀπο εἶναι ἀπο.

Tex. 9. Cum verò aliud sit magnitudo & magnitudini esse, & aqua & aquæ esse. Eodem autem modo & in alijs compluribus; at non in omnibus. In quibusdam enim idē est carni esse, & carnem: aut alio, aut aliter se habente indicat intellectus.

COMMENTARIVS LXXXI.

Distinctionē, quā hoc loco Philosophus proponit, formæ & essentiæ per se consideratæ atq; in materia spectatæ; eò pertinere putarunt Themistius & Auerroës, vt post traditam intellectus naturam inter illius & phantasiæ cognitionem atque operationem differentiam exponat: quòd hæc res tantum cum sensibili materia existentes percipiat, intellectus vniuersas essentias & sine materia comprehendat. Quare differentiam hanc ex obiecto peti. Quod sanè videretur ad rem, tum ad intellectus immaterialem & abstractam naturam antea declaratā ex operatione atque immaterialium & abstractarum rerum comprehensione confirmandam: tum ad hæc duas facultates distinguendas, quæ circa interiores formis, & absentes res ambæ versantur; suntque tantopere connexæ, vt post dicturus sit, nihil animam absque phantasiæ adminiculo intelligere. Nisi actum ageretur, iam enim in superioribus demonstratum

A est, intellectum à sensibus diuersum esse; atque ex operationibus ducta probatio, quæ non minus in phantasia, quæ sentiens item facultas est, locum habet. Deinde phantasiam quoque & intellectum diuersas esse facultates ostendit. Præterea ex eo, quod postremò traditum est, intellectum esse impermixtum, immaterialem, incorporeum, inorganicum, & separabilem; perspicuum erat, tum natura, tum operatione naturam comitante, à phantasia illam differere; quæ vt naturam, sic operationem omnem materialem habet, organicam, cum corpore communem, atque ab eo prorsus inseparabilem. Denique nulla hæc phantasiæ mentio, sed sensus. A quo tamen (vel interpretibus illis consentientibus) non distinguitur nunc intellectus; eum satis superque fuerit antea distinctus.

Propterea longè aliam Philosopho mentem fuisse iudicant S. Thomas, alique non pauci; qui quodnam sit intellectus obiectum declarari voluerunt: nempe vniuersale solum, singulare autem ad sensum pertinere: alij vniuersale per se ac primario, singulare secundario & per reflectionem ad phantasmata, à quibus intellectus species vniuersale representans abstracta est.

A quibus ego multis modis dissentio. Primum intellectibilem speciem nil aliud esse arbitror, quam ipsam intellectionem, quam actu promittit intellectus, phantasmatibus inspectis; vt pluribus post docebo. Deinde non minus singulare, quam vniuersale, ab intellectu cognosci aio. Quòd & Aristoteles hoc loco sentit, & quemadmodum non multò post explicabitur, certa ratio persuadet. Tertia causa, cur ego ab ea interpretatione discedam, est; quòd in ijs quæstionibus, quas traditionis initio de intellectu examinandas proposuit Philosophus in tex. 1. hanc non reperio, quòdnam sit intellectus obiectum. Neque aut obliuiscor, quæ (quod pæius est) aduersus docendi rationem peccantis notam illi inurendam puto; qui traditionis ac doctrinæ plura & diuersa, quam propositionis, fecisset capita.

Si igitur id præstandum fuit, quòd etat propositum; optimè dixit Philoponus, post expeditam primam illam quæstionem, quamnam sit intellectus differentia & substantia; alteram nunc Philoponum agredi, quomodo intellectio fiat. Nam eadē de hac quoque quæstione quidpiam fuerit dictū, vbi intellectionem esse intellectus formæ absque passione susceptionem; ac rursum esse operationem inorganicā, soliusque intellectus propriam, traditum est: hæc tamen ad essentiam, non ad intellectionis modum pertinent: quid inquam qualisque operatio sit intellectio; non autem quomodo fiat ac perficiatur. Et alterum quidem acceptum fuit, vt ex operationis conditione facultatis natura & differentia cognosceretur: alterum verò ex cognita facultatis natura statim deducitur. Si enim inorganica facultas est intellectus, consequens fuerit operationem item inorganicā, & cum corpore nequaquam communem esse.

Cæterum quatuor hic Philoponus dubitationes à Philosopho tractari ait, ex quibus explicatis, quemadmodum intellectio fiat, cognoscat. Ego ita interpretor. Cum in tex. 37. libri 2. posuisset, ex obiectis operationes inuestigandas esse, quòd illa priora existant, & propter illa sit operatio, ex illisque omnino pendeat: præceptum